



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio Prima. De Augmento meriti proveniente ex parte personæ merentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

docet D. Thom. 2. 2. quest. 104. art. 3. & 4. nihil autem indecorum continet, imò maximè Deum decet, quod Deus ut iustus iudex mercedem, quam ex pacto bene operantibus promissit, reddat, & largiatur.

1043. Dices: Per jus adversus alterum, quod quis habet, fit aliquo modo superior ei, qui illi obligatur; sed homo habet huiusmodi jus in Deum; ergo &c. Respondeo primò negando maiorem; nullus enim dicit, hanc esse veram superioritatem, sed solum posse cum cogere per leges, ut debito satisfaciatur. Respondeo negando minorem: neque enim hæc superioritas reperitur in iure, quod homo habet respectu Dei, qui ad pactam mercedem solvendam determinatur essentialiter ex re- ctitudine intrinseca suæ voluntatis, ita tamen, ut si per impossibile non solveret, à nullo cogi posset, neque læsus homo posset ad alium provocare, quam ad ipsam Dei iustitiam.

1044. Argues 20. Autoritate Sanctorum Patrum, plures enim videntur affirmare, non dari in Deo iustitiam erga hominem. Sic D. Bernard. serm. 1. de Annunciat. *Ne talia, inquit, sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex iure, aut propterea Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Et D. Anselm. in Prolog. cap. 10. *Iustus es, ait, non quia reddis nobis debita, sed quia facis quod te decet.* Et D. Aug. lib. 1. Confess. cap. 4. *Reddis debita, nulli debens.* Et lib. 3. de libert. arbitr. cap. 16. *Quid ergo ei prærogas, ut tanquam debitum poscas? & alia similia apud Patres reperiuntur; ergo &c.*

1045. Respondeo Sanctos Patres contrarium asserere, ut vidimus, num. 986. unde ad hæc & similia testimonia, si quæ sint, dicimus, intelligenda esse: Primò, quod Deus merita ipsa nobis donaverit, per quæ jus ad gloriam acquirimus; sicque totum jus nostrum quasi ex radice procedere ex ejus benignitate, & misericordia; hoc autem non impedit quominus Deus nobis ex iustitia obligetur, ut patet ex dictis, & in hoc sensu loquitur D. Aug. lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 6. *Cui, inquit, redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors Pater.* Secundò, quod Deus potuerit absolute non promittere, & prout sic dicunt jus nostrum in sola Dei misericordia fundari: unde D. Bernard. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. *Promissum quidem, ait, ex misericordia, sed ex iustitia persolvendum.* Tertio, loqui de nostris operibus merè secundum se, & non ut informati à gratiâ habituali; de quibus ad Roman. 8. 18. *Non sunt condigna. &c.*

1046. Solent hic aliquifusè disputare: Utrum omnes conditiones requisitæ ad rigorosam iustitiam inter Deum, & hominem, hæc reperiantur? Utrum sicut datur Dei ad hominem, ita vicissim detur hominis ad Deum iustitia? Quia tamen proprius primæ difficultatis locus est in tertiâ parte, ubi agitur de satisfactione Christi Domini: secundæ autem locus est in materia de Pœnitentiâ, ubi inquiritur: An peccatum præter alias malitias, quas in se continet, sit etiam injuria stricta contra Deum? ideo earum resolutionem ad ea loca relinquimus, si fortè antea nobis occasio non occurrat ad illas tractandas.

## DISPUTATIO III. De Augmento meriti de Condigno.

### SECTIO I.

#### De Augmento meriti proveniente ex parte personæ merentis.



**C**ERTUM imprimis est in actu augeri posse meritum condignum ex augmento conditionum, quas ad tale meritum diximus necessarias; siquidem cum ex ipsis conditionibus infurgat valor operum ad meritum, ex ipsarum augmento augeri etiam potest operum valor, consequenterque eorum meritum condignum. Undè quod actus, cæteris paribus, habuerit plures circumstantias augentes bonitatem, si ve intra eandem, si ve secundum diversam speciem, eò erit magis meritorius, ut latè probat P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 20.

Certum hinc est secundò, quod actus fuerit magis liber, & nobilior, eò cæteris paribus fore magis meritorius; siquidem libertas est fundamentum laudabilitatis, & meriti; & actus nobilior est obsequium magis placens Deo. Certum etiam est tertio, actum virtutis inferioris ex eo, quod imperetur ab actu virtutis superioris, non augeri in merito: tum quia sicut hoc imperium non potest efficere, quod actus imperatus, si sit naturalis, sit meritorius de condigno; neque requiritur ad hoc, ut sit condignè meritorius, si sit supernaturalis, ita etiam efficere non potest, ut sit magis meritorius: tum etiam, quia cum non semel huiusmodi imperium minuat, aut omninò tollat rationem liberi in actu imperato, etiam minuet, aut omninò tollet rationem meriti. Certum denique est, meritum operum, & eorum valorem non augeri ex promissione, & acceptance divina, ut patet ex supra dictis d. 2. Undè solum nobis superest examinare: utrum, & ex quibus principiis iustorum opera mereantur augmentum gratiæ, & gloriæ. His positis.

Dico I. Homo iustus per opera supernaturalia mereatur de condigno augmentum gratiæ iustificationis. Ita omnes Theologi cum D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 3. & cum Magist. in 3. dist. 27. & 28. Probatur primò autoritate Scripturæ ad Rom. 6. *Exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* Et subdit: *Liberati à peccato, servi autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam:* Ubi appellat sanctificationem, augmentum gratiæ, & docet esse fructum operum iusti. Et 2. Cor. 9. ubi tradit per opera misericordiæ *Augere Deum incrementa frugum iustitiæ nostræ.* Et Eccles. 19. *Ne verearis usque ad mortem iustificari: id est in gratia progredi, & augeri.* Et Apoc. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc, id est in gratia crescat; ergo &c.*

Probatur secundò autoritate Concilior. Trid. sess. 6. can. 32. ibi: *Iustificatum, inquit, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & per JESU Christi meritum sunt, verè mereri augmentum gratiæ.* Et Mogunt.

Mogunt. cap. 8. definit, *Charitatem bonis operibus gravidam esse, nec otiosam manere, quin oblata occasione promat de se opus bonum, & quotidiana faciat incrementa justitiæ; ergo &c.*

5. Probatur tertio autoritate Sanctior. Patr. D. Aug. Epist. 106. ubi ait: *Non gratiam Dei aliquid meriti praeceperit humani; sed ipsa gratia mereatur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Et tract. 1. in Joan. *Charitas mereatur augeri, ut aucta mereatur & perfici.* Et tract. 74. *Restat, ut intelligamus, Spiritum Sanctum habere, qui diligit, & habenda mereri, ut plus habeat, & plus habendo, plus diligit; habetur autem Spiritus Sanctus per gratiam sanctificantem.* Et lib. 2. de Peccat. merit. cap. 13. ad illud Coloss. 1. *Ut ambuletis dignè Deo, &c. Ambulatio ista, inquit, non corporis pedibus, sed mentis affectibus, & virtutibus geritur, ut possint esse perfecti justitiam professores, qui recto itinere fidei de die in diem sua renovatione proficientes, jam perfecti facti sunt ejusdem justitiae viatores.* Et D. Prosper. lib. sentent. in 95. *Crescit semper charitatis facultas, dum usu major, & largitate fit ditor; ergo &c.*

6. Probatur quarto rationibus: Prima, quia justorum operibus competunt omnes conditiones necessariae ad meritum condignum gratiae sanctificantis; siquidem sunt libera, positiva, moraliter bona, supernaturalia, & elicita ab homine jam grato, & amico Dei; sed his operibus praeium condignum correspondens est augmentum justitiae, & amicitiae divinae, cuius sunt capaces, & de quo facta est à Deo promissio, ut patet ex supra dictis; ergo &c. Secunda, quia justus per hujusmodi opera mereatur augmentum gloriae essentialis, ut statim dicemus; ergo etiam augmentum gratiae, quod illud sequitur; siquidem eodem gradu crescit in patria beatitudo essentialis, quo crescit in via justitia, & amicitia Dei.

7. Dico 2. Homo justus per opera supernaturalia mereatur augmentum gloriae essentialis. Ita omnes cum D. Thom. & Magist. supra cit. Probatur primo Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis; merces autem copiosa denotat praeium augmentis excellens.* Et Matt. 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera eius.* Et 1. Cor. 3. *Unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem; sed opera, & labores justorum longè inter se distant; ergo non potest esse par omnibus, sed aliis majus, aliis minus augmentum gloriae eorum meritis respondens.*

8. Probatur secundo ex Trid. sess. 6. can. 32. statuente anathema neganti *justificatum bonis operibus verè mereri vitam aeternam, & ipsius vitae aeternae consecutionem, atque etiam gloriae augmentum.* Tertio ex Patribus, quorum una vox est nobis gloriam augeri pro majori cumulo meritorum, & ipse ejus praeium augendi omnes fideles ad continua virtutum officia excitare. Confirmatur ex communi Ecclesiae, & omnium Catholicorum persuasione, qua credunt, majus sibi pro majori meritorum copia augmentum gloriae parari; ergo &c.

9. Probatur quarto rationibus: Prima, quia Deus operibus justorum augmentum gloriae promisit, ut patet ex testimoniis citatis, & eorum opera habent omnes conditiones necessarias ad meritum condignum hujus praeium, sive augmenti gloriae; ergo &c. Secunda, quia justus per hujusmodi opera mereatur de condigno augmentum gratiae, ut diximus; ergo etiam augmentum gloriae, quod illud consequitur. Tertia, quia Sancti Patres contra Jo-  
vinianum staverunt inaequalitatem gloriae; sed

hanc sola meritotum inaequalitas inducere potest; ergo &c. Quarta, quia Deus gravioribus peccatis majora parat supplicia; ergo etiam majoribus justorum meritis majus gloriae augmentum; alioquin prior esset Deus ad puniendum, quam ad praemiandum.

Difficultas major est, qualiter justus per opera sua supernaturalia mereatur hujusmodi augmentum gratiae, & gloriae? Haec difficultas in triplici sensu excitari potest. Primo, an per actus supernaturalis intensiores habitibus infusus mereatur justus de condigno augmentum gratiae, & gloriae? Secundo, an illud mereatur per actus aequè intensos? Tertio, an illud mereatur per quemlibet actum etiam remissum? His positis.

Dico 1. Homo justus per actus intensiores habitibus infusus mereatur de condigno augmentum gratiae, & gloriae. Est constans Theologorum sententia. Probatur, quia homo justus per suos actus supernaturales mereatur augmentum gratiae, & gloriae, ut supra diximus; sed nulli sunt actus, quibus aequus respondeat tale augmentum, quam sunt actus virtutum habitibus infusus intensiores: tum ob eorum proportionem cum habitibus infusus: tum etiam ob eorum praestantiam cum aliis actibus comparatam; ergo &c. Confirmatur, quia justus per actus aequè intensos, & etiam remissos mereatur de condigno augmentum gratiae, & gloriae, ut ex infra dicendis constabit; ergo à fortiori illud merebitur per actus intensiores.

Quaeres tamen hic primo: Utrum hujusmodi augmentum gratiae his actibus correspondens statim à Deo conferatur in hac vita, quin reservetur dandum in gloria; aut alio tempore, quo homo eliciat actum intensiorem, dato, quod tale augmentum meruerit per actum remissum? Affirmative. Est communis. Ita P. Vasq. 1. 2. d. 220. n. 43. P. Ripal. tom. 2. d. 90. sect. 2. n. 7. & alii. Probatur primo, quia Concil. Trid. supra cit. loquens de augmento gratiae, & gloriae, dicit cum distinctione, gloriam non dari, nisi in fine vitae; de gratia verò nihil determinat; ergo videtur sentire, gratiam, & ejus augmentum statim in hac vita concedi.

Probatur secundo, quia hujusmodi augmentum est praeium viatorum; ergo non est cur illud differatur, praesente debita dispositione ad illud conferendum, qualis est actus supernaturalis condignè meritorius. Tertio, quia promissio divina facta sub aliqua conditione, impletà conditione, statim impletur ipsa promissio; transit enim de conditionata in absolutam; sed Deus promisit justis augmentum gratiae sub conditione operis; ergo, hoc posito, debet statim illud concedere. Quarto, quia gratia non causatur physice ab actibus, sed à Deo; undè est, quod per Sacramenta producitur statim ex opere operato, etiam cum remissa dispositione; ergo non est cur justus per actum etiam remissum mereatur augmentum gratiae, illud statim non recipiat. Sed quandam conferatur gratia actibus remissioribus debita infra dicemus n. 120.

Quaeres secundo: Utrum fieri possint actus virtutum infusarum moralium intensiores virtutibus infusus, quin eisdem praecesserit, aut tempore, aut naturà actus charitatis intensior? Affirmative. Est omnium communis, uno excepto Bannez 2. 2. q. 24. art. 6. dub. 5. conclus. 5. quatenus asserit, nunquam fieri posse actum virtutis moralis infusae, sive intensum, sive remissum, quin naturà, aut tempore praecesserit actus charitatis, quam doctrinam novam, singularem, & prorsus à veritate alienam vocat P. Ripal. tom. 2. d. 90. n. 11.

Probatur

15. Probatur primò, quia iustus potest elicere actus supernaturales virtutum moralium, nullo præcedente actu charitatis; ergo etiam poterit illos efficere prout sic intensiores habitibus; non enim datur major ratio, cur possit illos efficere, & non possit illos intendere, nullo præcedente actu charitatis. Probatur antecedens primò, quia iustus potest exercere omnes actus virtutum moralium, quos potest peccator; alioqui peioris conditionis esset ille, quam iste; sed peccator absque prævio actu charitatis exercet plures actus virtutum moralium; ergo etiam sic poterit exercere iustus. Secundò, quia eadem est ratio de actibus Theologicis fidei, & spei, quæ de actibus virtutum moralium; sed actus fidei, & spei possunt fieri absque prævio charitatis actu; siquidem actus fidei præcedit actum charitatis, & ab eo separabilis est, cum relinquat voluntatem liberam ad illum eliciendum, aut non eliciendum: & actus spei potest etiam eundem actum charitatis præcedere; nam ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 6. amore Dei imperfecto, qualis est actus spei, disponitur voluntas ad amorem perfectum ipsius Dei elicitum à charitate; ergo &c.

16. Tertio, quia iustus post justificationem per Sacramenta, quam nullus præcessit actus charitatis, potest considerare honestatem objectivam creatam propriam virtutum moralium sine bonitate divinæ; sed potest eam prout sic consideratam amare propter se; nullus enim id prohibet; ergo absque exercitio actus charitatis potest exercere actus virtutum moralium infusarum. Quarto, quia tam à fidelibus, quam ab infidelibus fiunt actus morales virtutum acquirarum, quin præcedat actus charitatis divinæ; ergo etiam sic poterunt fieri actus morales virtutum infusarum; neque enim datur major ratio.

17. Probatur secundò, quia post elicitum actum charitatis ut quatuor æqualem intensiori virtutum, & gratiæ, potest Deus homini iusto dare gratiam auxiliantem efficacem ut octo ad eliciendum actum religionis, aut misericordiæ; siquidem dispositio auxiliorum gratiæ dependet à solo libito, & libertate Dei sine ullo respectu ad gratias antecedenter collatas; sed cum illa gratia efficaci ut octo poterit iustus actum religionis, aut misericordiæ ut octo elicere; ergo post elicitum actum charitatis ut quatuor, potest fieri actus virtutis moralis ut octo; ac proinde quin præcedat actus charitatis possunt fieri actus morales virtutum infusarum intensiores. Confirmatur, quia æqualis est in homine iusto libertas ad eliciendum, & intendendum actum virtutis moralis, atque ad eliciendum, & intendendum actum charitatis; sed voluntas eliciens actum charitatis ut quatuor, poterat illum intendere ut octo; ergo etiam post elicitum, aut non elicitum actum charitatis ut quatuor, poterit elicere, & intendere actum virtutis moralis ut octo.

18. Dices cum ipso Bannez: Impossibile est, ut voluntas intensius, & prius feratur in media, quam in finem; sed per actus virtutum moralium voluntas fertur in media, & per actum charitatis in finem; ergo non potest voluntas affici circa media, quin intensius, & prius tempore, aut naturâ afficiatur circa finem, qui est ratio volendi media. Ante solutionem advertes, media conferentia ad aliquem finem dupliciter posse appeti à voluntate: Primò ut utilia ad eum finem per electionem formalem pertinentem ad virtutem, ad quam pertinet intentio finis, & prout sic non potest voluntas prius, neque intensius velle media, quam finem: Secundò propter

honestatem sibi propriam tanquam finis intermedii, per electionem materialem spectantem ad virtutem diversam à virtute intendente finem, & prout sic potest voluntas prius, & intensius velle media, quam finem; siquidem prout sic potest finem inefficaciter, & media efficaciter appetere. His positis.

Respondeo negando majorem; cum enim voluntas, non priori, sed posteriori modo appetat per virtutes morales media conferentia in Deum, potest per illa prius, & intensius ipsorum honestatem objectivam amare, quam per actum charitatis bonitatem ipsam divinam. Acedit, quod actus virtutum moralium possunt fieri, quin præcedat ullus actus charitatis, ut supra diximus; ergo etiam quin huiusmodi actus sint electiones materiales intentionis elicite à charitate, aut eorum objecta etiam extrinsecè appetantur tanquam media in finem ipsius; consequenterque ratio mediorum, & finis non potest impedire intensiorem eorum actum supra intensiorem actus charitatis. Hinc fit.

## SECTIO II.

*Utrum per solos actus intensiores charitatis; an etiam per intensiores aliarum virtutum mereamur novum augmentum gratiæ, & gloriæ?*



ADVERTES primò, nos hic solum agere de augmento, quod correspondet merito ipsorum actuum, non autem de augmento meriti, quod ipsi actus habent, aut non habent ex majori, aut minori temporis duratione, de hoc enim infra dicemus. Secundò disputationem solum esse de actibus internis virtutum moralium, quibus omnes Theologi meritum adscribunt, non verò de externis, quibus seorsim ab internis rationem meriti supra negavimus d. 2. Tertio, præsentem disputationem jam esse aliis terminis discussam, & affirmativè resolutam cum egerimus de merito condigno actuum aliarum virtutum infusarum præter charitatem, & absque relatione ad illam, ut videre est d. 2. à num. 324. & 339. sed quia ob singularem, & novam opinionem, quam tenuit Bannez statim citandus, specialem habet difficultatem in his actibus circa augmentum gratiæ, & gloriæ, quod per illos mereamur, idè in appositis terminis iterum de illis agendum iudicavimus necessarium, præmittendo quid Bannez fenserit, & postea quid sentiendum cum verâ & sanâ doctrinâ resolvendo. Igitur:

Primò asseruit Bannez 2. 2. q. 24. art. 6. à dub. 2. usque ad dub. 5. & in Relect. de Augment. Charitatis, & in Annotat. ad Relect. Victoria. solis actibus charitatis intensioribus respondere novum, & speciale augmentum gratiæ, & gloriæ; omniumque virtutum infusarum sectantium gratiam: reliquis verò aliarum virtutum actibus, licet intensioribus gratiâ, nullum aliud novum, ac speciale præmium, quam gaudii ejusdem accidentalitatis, in gloria conferendum à Deo provideri. Unde consequenter docet, omnes actus fidei, spei, & omnium aliarum virtutum moralium, esse æquales quoad effectum merendi gratiam, & gloriæ essentialem, eò quòd omnibus illis solum augmentum actus charitatis intensioris, à quo imperantur, æqualiter respondeat. Secundò